



- 1 Baumgarthen s: Sigism: Juc: / meditatio-
nes guardam de genuina et spuria
edificatione spirituali Medijps illius
legitimis et illegitimis, Halle 1747.
- 2 Brunings s: Christ: diff: De Christo
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Cloppen s: diei, sigism: diff: De opere
Dei mirabilioro, Gratijs et Glorioso
in sanctis rediuvir demonstratu,
- Francof: 1726.
- 4 Clauswitz s: Bened: Gottli: diff: de
spiritu sancto arrahabone, Halle, 1747.

19

19

DISSERTATIONEM
DE
INSUFFICIENTIA
SACRIFICIORUM IN
VETERI, ET SUFFICI-
ENTIA SACRIFICII CHRISTI
IN NOVO TESTAMENTO,
ex loco Pf. XL. 7.

61-1

02-0

SUB PRAESIDIO
VIRI SUMME VENERANDI,
DOMINI
PAULI ERNESTI JABLONSKI,

SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ORD.
ECCLES. ITEM REFORM. IN HAC URBE
PAST.

XIV. Aug. 15 15 CC XXV.
ventilabit

Ejus Auctor.

RUDOLPHUS GOTHOFREDUS
GOELICKE.

Berol. S. Th. Stud.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis exscrispit TOBIAS SCHWARTZE.

DISSESTITIOMEN
IN SUCCESSIONE
SACRIGIORUM IN
LETTERA ET SURFICI
IN VOTO ET AMENITO
ZETTERE ADIDICO
ANT TERRAM NEMINIMUS
COMINCI
PAULI ERNSTI ABOLONIE
SS. THOMAE ET IACOBUS PURÆ ORD
FESTIS HENRI FEDORVM AC FEDERICI DRE
HIST.
XVII. ANNO CCCLXXXVII
GOTICÆ
RUDOLPHI GOTHOFREDI
GOTHICÆ
AC CTP 200
ALB. SCHWARTZÆ

*REVERENDISSIMO.
ATQUE ILLUSTRISSIMO. DOMINO.*
**DOMINO.
MARQVARDO.
LUDOVICO.
LIBERO. BARONI.
DE. PRINTZEN.**
AUGUSTI. PRUSSORUM. REGIS.
SUPREMO. AULAE. MARESCHALLO. MINISTRO.
STATUS. INTIMO.
ORDINIS. PRUSSICI. EQVITI. REGIAE.
ARCIS. PRAEFECTO.
CONSISTORII. FEUDALIUM. ET. ECCLESIASTI-
CARUM. RERUM. REGIAEQUE. SCIENTIARUM.
SOCIETATIS. PRAESIDI. ET.
DIRECTORI,

NEC

NEC. NON.
REGIARUM. ACADEMIARUM. OMNIUM.
CURATORI. SUPREMO.
COMITATUS. RUPINENSIS. AGRIQUE.
BELLINENSIS. SATRAPAE.
ECCLESIAE. CATHEDRALIS. MAGDEBURGENSIS.
CANONICO.
DOMINO. HEREDITARIO. IN. CARO.

DR. P. R. H. F. M. G. S. D. B.
AUGUSTIUS P. R. H. F. M. G. S. D. B.
SUBSIDIARIA IMPERIALIS UNIVERSITATIS
STATVS IN IMMO
ORDINIS AUGUSTINI BONITI BEGRI
VERGAE SANCTISSIMAE
CONSTITUTIONIS SANCTISSIMA
FELICITATEM. PERENNEM.



Psalm. XL. 7.

נְחֵה וּמְנַחָּה לֹא חִפְצָת אֲנוֹת כְּרוּת יְיֻלָּה וּוּתָה
לֹא שָׁלָתָה:

Sacrificium & munus non desiderasti, aures fodisti mihi, holocaustum
& oblationem pro peccato non expetiisti.

§. I.

Inter innumeras veteris ecclesiae caeremonias, sub quarum cortice latebant nostri temporis praerogativa, nulla erat tam conspicua, quam sacrificandi ritus. Ceterae enim, cum vel Christi natales, vel officia, resurrectionem, triumphum aliave momenta describerent, hic praeципue tormenta ejus & mortem, quae unicus erat nostrae spei cardo, vividissime adumbrabat. Hinc ut excellentia sua, sic & antiquitate pre reliquis eminebant sacrificia, cum ii sibi facum facere non videantur, qui pelles, e quibus vestes confudit Deus primis nostris parentibus, animalibus iis detractas esse putant, quae ei antea immolaverant.

§. II. Non tamen eo temporis articulo alia potuerunt esse, quam votiva & eucharistica, cum quod expiarent adhucdum nihil esset. Sed postquam fatalem fructum decerpserint primi homines, tum demum austriorem formam induerunt sacrificia, tum animalium crux magis typus esse coepit ejus, quem aliquando ira Dei pro nobis erat absorptura. Quanquam Patriarcharum aevo, velut infantes, mitius habebantur

A

bantur fideles, & laetius liberiusque sua sacrificia peragebant, donec sub Oeconomia Mosis Israelitae servorum instar, ad perpetuam lanienam rigore legis compellerentur, & quotidie eis peccati chirographum in sanguine pecudum ostentaretur. Ut vero incredibili variarum caeremoniarum multitudine hi erant circumsepti, sic etiam non unius generis sacrificia eis erant praescripta, e quibus Psaltes quatuor hic recenset, זבח טהרא ו שולח מנחה

S. III. Igitur sacrificium, ortum habet a זבח mactavit, unde כובח altare; erat alias, (hoc loco autem sacrificium salutare) universale sacrificiorum nomen, sive ea desumpta essent ex quadrupedibus, seu volatilibus, seu etiam farina. מנחה autem munus, est ab Arab. מנח donavit, & sacrificia praeferuntur incruenta, quae depcebant Deo pauperes ex frumento, continebat. Caverat enim Deus inopiae quorundam, quibus, cum vaccam, agnum, hircum aliudve animal coëmtere non possent, licentiam fecit, ut vile quoddam fertum traducerent in altare. Familiam vero paene duxit ita dictum שלוח holocaustum, quod derivabas ab לוי ascendit, unde etiam est עליה folium. Totum enim hoc sacrificium, ablato corio & mundatis intestinis, quale quale erat, ascendebat in aram, nec quicquam de carne ipsius participabant sacerdotes, ut quidem de sacrificiis aliis, ubi nobilissimae tantum partes, adeps & exta cremabantur, reliquam autem carnem sacerdos & offerens inter se dispergiebatur. Erat ergo שלוח hoc, ut sacrificiorum fere princeps, sic etiam Christi figura valde emphatica & expressissima. Venit nunc in censum מטה Sacrificium pro peccato: descendit id a נח peccavit. Potissima hujus ratio erat, ut abstergeret peccata, non ea quidem quae omnibus hominibus sunt nativa, sed illa in quae quis vel aliqua fronte, vel nescius etiam & per errorem incidet. Tam dura enim erat tunc temporis Dei virga, ut non modo rueret in peccatores ob labem Adamiticam, sed etiam peccata singularia, involuntaria tamen, hoc sacrificio vellet elui. Quin quod majus est, illa quoque crimina, quae contra

contra legem Caeremonialem tantum ibant, ἈΝΩΝ quodam ex-sanguenda erant. Ita atrectatio mortui, gonorrhaea, puerperium, cibi illiciti, & ejusmodi alia, jam erant vermis in conscientia, & hac victima debebant aboleri.

§. IV. Haec est horum sacrificiorum quatuor externa facies & ritus ipse: naturam autem & illorum, & sacrificiorum in genere si perrepamus, erunt illustria Christi emblemata, ut hunc in eis exsculptum quasi esse dicas. 1. Bos, agnus, hircus, columba, farina purissima, erant plerumque sacrificiorum materia, & signa simul laboris & constantiae Christi, innocentiae, lasciviae, (peccatorum enim vices sustinuit,) mansuetudinis denique & purissimae sanctitatis. 2. Segregabantur illa animalia, & Sacerdoti dein tradebantur: quod exprimit consilium Dei, in quo ad mortem destinatus est Christus, & traditionem ejus ipsam justitiae Dei factam. 3. Maestatio cruenta, illius maestationem. 4. Ablutio animalis, hunc esse hostiam immaculatam. 5. Elevatio in altare, sublationem in crucem. 6. Combustio iram Dei rapidissimam. 7. Cinis extra castra portatus, sepulturam Christi tantum non vociferatus est. 8. Quod denique ederint de Sacrificiis Sacerdotes & offerentes, communionem fidelium cum victima sua praefiguravit.

§. V. Damnat autem Textus noster quatuor haec sacrificia, tanquam minus sufficientia ad placandum Deum. Idem tamen vult intelligi de reliquis omnibus quotquot erant immolationibus, utpote quae ab illis non nisi quibusdam circumstantiis discrepabant. Nec, cum sacrificia culpat, liberat hoc naevo caeremonias alias, sed totum etiam apparatum Leviticum simul imperfectionis accusasse est existimandus, cum non minus, ac quidem illa, rerum futurarum fuerit imago tantum.

§. VI. Et cum duo semper fuerint ab antiquo hominum genera in domo Dei, vel hypocritae, vel fide germana subacti; duplicita etiam fuerunt, quae Deo afferebantur sacrificia, tum eorum, qui ritum tantum imitabantur sine religioso affectu, tum eorum, qui jugulabant quidem pecudem, sed cum sancto scrutinio

mysterii divini, quod hic teatum erat. Quæritur ergo, contra quamnam sacrificiorum oblationem Psalmus noster belligeret? dicimus nos, contra utramvis. Ac quidem sacrificia in fide immolata non fuisse justum pro hominibus placamentum, patet inde, quod veram victimam depinxerint tantum, eamque modo ut umbra corpus antecesserint. Multo vero minus pondus hoc habuerunt sacrificia sola & in se considerata. Quod tamen cum defenderint olim spectra hominum Pharisei, eorum doctrinam per aliquot paragraphos enervabimus.

§. VII. Certe vero pecuniam mentem habent, qui peccatum in materia hac suscipiunt patrocinium. Quid enim, si tibi commissam a tuo Rege coronam alius blandiatur, an lenire iram Domini tui, aut quos tibi minitatur cruciatus, pati potest bestia? tantum abest, ut Regem summum, cuius tu bona dilapidasti, mollescere & tibi reddere posse crux animalium. Et, praeterquam quod is, qui reconciliare hominem cum Deo velit, talis debeat esse conditionis, ut convenire cum Deo, ut commendare ei peccatorem, ut satisfactionem pro illius delicto posse polliceri, quod non cadit in bovem aut hircum; accedere quoque debet tanta personae hujus vis & valor, quo horribilem Dei iram posse sustinere, ne ab ea conteratur & absumentur: cui discrimini praeter Deum ipsum nec pares erant angeli, nec homines, nedium animalia. Unde hic ad me appropinquabit, quicquam enim est, (h.e. nemo est,) qui tam sincero corde me adeat. loquitur Deus de Christo Jerem. XXXI. 21.

§. VIII. Rei huic suffragatur nostra conscientia, secundum cujus trutinam ponderare veritates omnes debemus. Hanc vero si consulimus, statim abibit in fumum, quicquid hic somniat absurdorum hominum cerebrum. Duplex naufragium ut scimus omnes, fecit Adamus, partim quod creatoris sui imaginem in se expungi, partim quod a deceptore suo se subjugari fuit passus. Excute jam conscientiam tuam, & attende, annon ad reparandam in te Dei imaginem,

ginem, & ad deprimendum Satanam fortiori brachio fuerit opus, quam pecunio? facile tum judicabis, non sacrificia animalium, sed alium esse debuisse, quem nobis Deus faceret sapientiam & sanctimoniam, i. Cor. I. 30. quomodo nobis formae divinae restitutio promerita est; neminem quoque praeter eum robusti domum spoliare potuisse, Marth. XII. 29. quod exemptionem a Diaboli dominio dicit. Vide nunc, an multa milia arietum, aut oleum, etiam si innumeri ejus essent rivi, Eccl. Mich. VI. 7. ad reconciliandum Deum suffecerint, an vero alia vietima eos debuerit in perpetuum consummare, qui sanctificantur. Hebr. X. 14.

§. IX. Quicquid machinentur adversarii, collabetur, si iis opponamus, ne minimam esse inter delictum & delicti poem proportionem, ubi Deo sanguinem animalium, tanquam absolutissimum hominum piaculum obtrudimus. Ita vero se ludibrio haberi ne judices quidem terreni patiuntur, ut latronem obolum pro caede sua offerentem, e mortis periculo expediant.

§. X. Deinde quoque, si Deus exitium aeternum, quod homini si laberetur statuerat, in leve hoc supplicium convertisset, veritatem suam destruxisset. Hoc autem fieri plane nequit, siquidem virtus haec non quaedam tantum in Deo denominatio est, sed ipsam ejus essentiam ingreditur, adeoque similiter ut illa, mutationem omnem respuit. *'Non est Deus homo ut mentiatur, aut filius hominis ut eum rei aliquibus poeniteat.'* Num. XXIII. 19. hinc Christus Apoc. I. 15. pedes habet ex orichale, quod stabilitatis illius & immutabilitatis character est. Resultat inde, hanc Dei veritatem non arrodi modo, sed subrui omnino ab iis, qui clamant, Deum, licet initio legem suam severissimo interdicto munierit, potuisse tamen in ejus transgressorum ita suavem, lenem ac clementem esse, ut satisfactio ne metaphorica satis habeat.

§. XI. Et cur denique mitissimus Pater filium unicum ad inauditam mortem relegasset, si tolli hominum sclera sanguine animalium potuerunt? nullo certe colore asperitatis

notam hic effugeret Deus. Contra vero edicti sumus a Scriptura, Deum magnam sui filii rationem habuisse, sed cum redimi tamen genus humanum aliter non potuerit, invitum quasi tam carum pignus a se dimisisse. *Ira Dens dlexit mundum, ut unigenitum suum filium daret. Job. III. 16. Deus proprio filio suo non pepercit. Rom. VIII. 32.*

§. XII. Riserunt jam olim Gentiles, qui emunctae naris erant, dementiam hanc & Judaeorum & civium etiam suorum, qui eodem morbo laborabant, existimantes, nidorem sacrificiorum esse Diis gratissimum, eosque horum sanguine velut nutrimento uti. Quae ut solet, acerbe exsibilat Lucianus, Libr. de Sacrif. p. 354. edit. Salmur. *At vero Dii Jovi assidentes in terram despiciunt, & inclinato capite quoquoversum spettant, έπειδεν ὅντος πύρ αὐλοπόμενον, η σάναφερεμένη κύσταν ἐλαστομένη περὶ παπυῶ, (ex Homero Iliad. A. v. 317.) καν μὲν θύη τίς ἐνωχεῖται πάντες, ἐπικεχήνοτες τῷ παπυῷ, καὶ τὸ ἄμμα πίνοντες τοῖς βαμοῖς προσχεμενον ἀσπερ δι μίνα. siende ignem (in sacrificiis) accensum, aut surgentem nidorem circumfusum fumo videant. Ac si quis forte sacrificet, epulatur omnes inbiante fumo, ac myscarum more affusum aris sanguinem bibentes. Similem Satyricum agit Aristophanes in Pluto. pag. 105. ubi Mercurium introducit conquerentem de malis, quae scilicet ob neglecta sacrificia redundant in Deos, post quae ait haec: καὶ τῶν μὲν ἀλλων μοι θεῶν ἡττον μέλει, ἔγω δὲ ἀπόλωλα παπιτέρημια. De reliquis Diis minus anxi labore: sed quantum ad me attinet, fame perii.*

§. XIII. Confecimus nunc Pharisaorum in hoc capite dogma, idque quoniam futile erat, nullo negotio confecimus. Objicit se nunc nobis Vir vastae quidem doctrinae, sed qui sibi nonnunquam nimis placet. Spencerum puto, acutissimum Anglum, qui in materia de Sacrificiis sententiam invehit in ecclesiam novam plane & inconsuetam. Is enim eorum incunabula non apud gentem Dei, sed inter ethnicos reperit, eisq; gloriam inventae hujus caeremoniae vindicat, quam deinceps vicini gentilibus filii Dei adoptaverint, & sua civitate donaventerint.

rint. Inter alia vero praesidia opinionis suae, quam multis phaleris ornat, Lib. de Legib. Ritual. Jud. auxilium quoque petit a nostro, quem evolvimus loco, ejusq; verba רַא חֲפֵץ non sic accipit, ut significant *Noluisti*, quod faciunt tamen omnes clarissimi interpres, sed quasi designant non *jussisti*, non *praecepisti*, h. e. non es auctor sc. sacrificiorum. Sed licet factamur vocem γειτονία utrumque notare, & velle & jubere, loco tamen huic quem tractamus, sensum postremum convenire negamus.

¶. XIV. Fidem enim excedit, innocentissimos Patres cultum idololatricum ad Dei sui sacra transtulisse, nec id tantum, sed ei etiam locum primarium inter omnes suos ritus concessisse, cum id fastigium merito competenteret sacrificii. Sed si sumus liberales, & insimulemus ecclesiae Dei primitias hujus improbitatis, certe nemini persuadebimus, placere Deo potuisse, religionem suam impura caeremonia conspurcari, aut illum eximie delectatum esse, quod eodem illo honore sacrificorum scilicet, afficeretur a suis, quem illi viderant Diabolo exhiberi ab ethnicis. Et legimus tamen, sacrificia hoc aeo Deo immolata ab illo ipso fuisse injuncta, ex quo proclive est conjicere, alias debere esse hujus ritus natales, quam quos finit sibi Spencerus.

¶. XV. Addimus, quod ipsam pertinaciam vincet, si sancti Patriarchae sacrificandi morem non a Deo, sed a gentilibus dicierunt, eum sub nullo alio, quam religionis ex proprio ingenio effectae, nomine venire posse. Sciunt autem illi, qui non plane hospitantur in S. litteris, nolle Deum sapientem ex carnis stoutitia coli, sed unice secundum legis a se traditae amusim. *Math. XV. 8. Col. II. 23.*

¶. XVI. Secure denique contendimus, morem hunc sacrificandi apud gentiles ne nasci quidem potuisse, ut eum adeo Patriarchae, si vel maxime voluerint, tamen domesticum facere ab iis minime potuerint. Affirmabunt omnes, sacrificia fuisse umbras sacrificii Christi, nec hoc tantum, sed tales etiam umbras,

umbras, quae quascunque mortis Christi circumstantias ita expresse praef significarunt, ut hic in eis veluti exalciatus fuerit. Credent itidem, mortem Christi & ejus mediationem nulla arte humana potuisse excogitari, sed Deum ejus esse architectum. Si autem totum illud salutis aedificium effinxit sapientia Dei, quomodo accuratissimam hujus imaginem, (sacrifica puto,) fabricasset vesania hominum? Possetne aliquis Alexandrum sculpere, quem ne per quietem vidit unquam?

§. XVII. Neminem quoque, qui historiam breviter tantum degustavit, fugiet, modo plane contrario, gentiles magnam Theologię suę partem in acceptis debere populo Dei, non hos vero in sacris suis habuisse magistros gentiles. Ne volumen spatiōsum contexamus, memorabimus tantum, appellationem Jovis aperte esse a Jehova, inundationem Deucalionis diluvium Noachicum, τὸ χρόνον creationem mundi, γεγαντούχησιν constructionem turris Babylonicae olere: qualia apud eos sunt maxime obvia. Ex quo manibus palpamus, sacrificandi consuetudinem fato eodem a gente Dei ad idololatras transcurrisse.

§. XVIII. E diverticulo nunc in viam. Spectavimus supra animalium in V. foedere egestatem, qua hominem ex Satanae ergastulo non potuerunt emercenti: unde alius debebat esse, qui quod deerat homini, ex suis thesauris depromeret, & ejus nomen e Dei tabulis eraderet. Fuit vero is, si scripturæ semitam sequimur Christus, qui solus Dei iram sua morte sopire, & nos cum creatore nostro novo glutine potuit compingere. Habent hoc cunctæ S. litterarum paginae, quae ut sacrificiis omnem vim leniendi Deum admunt, sic eandem Servatori nostro faciunt propriam.

§. XIX. Peregrinum tibi videbitur, quod victima Christi, semel tantum in crucis altari concremata, *Hbr. X. 14.* plus valuerit, quam illa sanguinis flumina, quibus quotidie tincta fuit ecclesia vetus *v. n.* Provocemus ergo in scenam privilegia, quibus

quibus prae sacrificiis antiquorum splenduit sacrificium Domini nostri: illa enim si rimatus fueris, consenties ultro, hunc Dei agnum prae animalibus Judaeorum fuisse tantae dignitatis, ut ruinam humani generis potuerit perferre & fulcire. Quod caput rei erat, is, qui homines tueri volebat, omnium primum libere ac sua sponte ad difficile hoc negotium debebat accedere, cum ille alias martyrum videatur subiisse, quem contra voluntatem suam iracundiae Dei projecisset homo: quo latrocino potius quam justa & aequabili satisfactione, magis adhuc Deum exulcerasset, quam priorem noxam sepelivisset. Tum etiam non feriisset certe Dei sanctitas creaturam innocentem ad vadimonium coactam. Adeoque necessarium fuit, ut Christus instinctu proprio hominem in luto demersum tolleret, & vindictae Dei furniperet. Quod eum etiam fecisse. Scriptura docet. Ps. XL. 8. *Ecc. venio, in libro scriptum est de me.* &c. & multis testimonii aliis. Notemus hic, non sine mysterio in Sacrificis T. V. oves fuisse communisimas; harum enim incomparabilis mansuetudo, (*Esa. LIII. 7. non aperuit os suum ut ovis, quae ducitur ad macellum.*) eandem virtutem in antitypo suo digito monstravit. Addimus, hanc animi facilitatem a Christo capite in cetera quoque membra destillasse, unde illa in pietatis tramite nullo unco aut calcari habent opus, cum hilariter in eo & sponte ambulent: quod canit David Ps. CX. 3. post victoriam tuam populus tuus tibi sponte sacrificabit, cui succurrat filius Salomo, qui in suo *Cantico VI. 11. de curru Amminadab*, hebr. כָּרְבָּן h. e. populi sponte, sermonem niecit.

§. XX. Ex quo igitur Christus in hoc cum Patre suo commercio hominum personam egit, & ipsius iram ab eorum cervicibus declinavit in suum, atrocissimi criminis nostro loco fiebat reus. Nihil tum Deo amplius cum homine in hac causa negotii, liber erat, erat expeditus, & spectator tantum erat illius tragœdiae, quam alias in ipso lufisset ultio Dei. Jam omnem irae suae molem immittebat Deus in nostrum sponsorem

forem, eumque deturbabat ad supplicium id, quod nobis paraverat. At quale hoc? loquatur id Moses e *Genesi* sua *Cap. II. 17.* quo die comederis, מותה תמות moriendo morieris. Ubi mors non corporalis tantum, sed animae etiam & aeterna inuitur, quod praeter emphasin phraeologiae, ex opposita viae aeternae promissione, eidem homini data, clarissime elicetur.

§. XXI. Stabat nunc in consilio Dei ad aram hostia, passura id, quod competebat homini rebelli. Sed cum filius ut Deus nec pungi doloribus, nec curis posit marcescere, nihil erat reliquum, quam ut humani corporis tabernam ingredetur, in qua poterat a vindicta Dei commoli. Et hoc etiam deliberato tempore fecit Christus, quo ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *Job. I. 14.* habitavit inter nos, quod felicissime interpreteris, τὸ σκῆνος habiculum sc. sui corporis affunxit, sic enim sententia haec cum praecedenti ὅταξ ἐγένετο caro factus est, nitide conspirat, & sensum eundem fundit. Alia etiam causa Messiam nostrum carnis involucro inclusit, ut frater noster esset & affinis, utque adeo calamitate nostra tangeretur non ex amore tantum divino, sed ex eo etiam, quem natura ipsi ingeneraverat. Tendebat hoc Judaeorum Gōēlismus, quo Isrælitam a servitute, ejusve domum & agrum ab emtore nummis suis repetebat is, qui sanguine illi maxime vicinus erat. Diploma Dei de ritu hoc eleganti lege. *Lexit. XXXV. 25.*

§. XXII. Quemadmodum autem solus Deus redemptor nullus erat redemptor, sed caro etiam adesse debebat, quae a fervente Dei vindicta coqueretur: sic nec caro Christi sola habebat virtutem hilasticam, verum connectenda erat cum Divinitate. Hac enim veluti fulcimento quodam & propugnaculo uti debuit, ut posset tremendam Dei iram sine naturae suae detrimento excipere. Alias enim piaculum nostrum fuisset mancum, si oneri succubuisse Salvator mundi: sed nunc, quod inter medias flamas vixit extiterit Christus, efficit ipsius Divinitas. Deinceps vero, cum laesa Dei majestas

itas supplicium comminata esset non acerbum modo sed temporis intuitu aeternum quoque, in causa fuit auctoritas personae, ut illud intra aliquos dies, aut si malis, horas fuerit contractum; cum si Messiae nostri passiones per aeternitatem fuissent expansae, spes nostra salutis nanciscendae vana & vitrea fuisset in perpetuum.

§. XXIII. Θεανθρωπος igitur debebat esse vita nostra: homo nempe, ut cruciari posset, idem vero Deus, ne posset ab infernalibus tormentis prosterni. Unde duo nomina, quibus olim Christus frequentissime salutatus est, εις ανθρωπος & κυριος, filii hominis & Domini, mysterium hoc in sinu habent, & hominem Christum eundem quoque Deum esse murmurant. Ceterum θεανθρωπος hujus picturas & muta vaticinia habes in arca, e ligno ξυρα gittim constructa, ubi lignum Christum hominem, & lamina aurea, quae undiqueque vestiebat arcana, eundem Deum musitabat: item in rubo ardente, ubi frutex ipse Servatoris nostri carnem, ignis vero qui eum lambebat, Divinitatem ipsius deumbabat.

§. XXIV. His igitur, quae significavimus, ornamenti eniit victimā N. Testamenti p̄ae iis, quas maestavit aliquando vetus Israël: ideoque, qua virtute omnino caruerunt sacrificia, potuit & sola quidem potuit, similitatem Dei adversus nos oblinere, & nos ad vitam beatissimam transvehere. Aliud quippe fuit, secundam e S. Trinitate ὑπόστασην, reliquis personis ομοιοτατοι, principatiui suo ad tempus quoddam renunciare, nostro more in utero stabulari, nasci dein & per tricennium inter milie aerumnas desudare, exspirante denique sua aetate in cruce affigi, & ibi ob vehementissimos dolores quiritare: aliudque erat, animal carneum, machinam brutam, & in qua nihil adeo, quam quod moveatur mireris, ab igne depasci. Agnoscent ergo omnes ii, qui generosum spiritum habent, sacrificia, rem in se alias non ita momentosam, nihil aliud fuisse, quam Doctores mutos & abstrusos etiam, populi in aevo puerili & impubere, quoad religionis notitiam, adhuc balbutientis. Quae est

mens Pauli Hebr. X. 1. *Lex habet umbram futurorum bonorum, non effentiam ipsam.*

§. XXV. Fuimus jam in tabernaculo Mosis & monte Gol-gatha, & observavimus, locum hunc prae illo nobilitatum esse meliori victima. Consentit nobiscum Davides, qui in Textu quem enucleamus, postquam sacrificia sua vi omni nudasset, transit statim ad hostiam Christi, eamque verum hominum piaculum esse afferit verbis his: אָנוּם כְּרוּתִי לְאַרְזֵת אֲוֹרֶת *Aures aperuissi mibi, seu, quod ex Antiquitatis scriniis mox demonstrabimus, Ego me tibi servum obnisi, quod idem est, ac catherem adoptavi, cruciatusque in ea subii;* & idcirco cunctis V. T. sacrificiis sum antehabendus. Quam passionis Dominicæ historiam, per totam posteriorem Dissertationis hujus partem persecuti sumus.

§. XXVI. Vellicat nunc nos phrasis לְאַנְגִּילְתִּים כְּרוּתִי, ratione conficiamus hinc servitium Christi, cum verborum sonitus tam insolite tinniat. Sed homini in Judaicae gentis ritibus paulum versato, facile erit, item hanc dijudicare. Tenebantur Servi Israëlitici heris suis fideli ministerio per sexennum adhærere, septimo vero anno manumittebantur. Non nulli autem eorum non raro ad fortem suam resiliabant, quotamen venire sine caeremonia non poterant. Adducendi enim erant a Domino ad januae portes, ubi is novi principii aurem spiculo perterebrabat, quo facto, servus ejus manere debuit לְאַלְעָגִים in aeternum, quod ex Bibliorum stilo omnes dies vitae complectitur. Habes haec Exod. XXI. 1-7.

§. XXVII. Quod si jam typum hunc vocemus sub incudem, intelligemus non modo, quod diximus supra, aperuissi mibi aures, idem valere ac: *Spontaneus tuus seruos factus sum, sed* praeter hoc etiam offendemus hic elaboratissimam Christi pieturam. 1. Servus enim, qualem hic in oculis habemus, non vi retrahebatur, sed sponte sua ad servitium revertebatur: qua re pulchrum emblema fuit Christi, qui etiam ipse se exinxerit, & formam servi acceptavit. Phil. II. 7. vide quoque §. XIX.

2. Obser-

2. Observat praeterea Exodus, servos saepe ad priores suas operas rediisse ex affectu in uxores, quae alias cedeabant Domino; & quid est S. codici familiarius, quam quod delicatisimum amorem Christi erga ecclesiam suam, cui non raro sponsae titulum dat, extollat? *Vos viri, amate uxores vestras, quemadmodum etiam Christus amat ecclesiam, & se ipsum dedit pro ea.* Ephes. V. 25. 3. Eximium etiam amorem Servorum in suas conjuges forsan non jejune conjicias ex auriculae compunctione, quod illi a mulieribus suis noluerint avelli, etiamsi intervenierit dolor hujus vulneris: longe expressius vero amoris signum tradidit nobis Servator noster, quem non barbara mors & tormenta gravissima, nedum dolor hujuscemodi parvulus distrahere a suis potuit. 4. Servus autem, ad soldam suam conditionem retrogrediens, non per novum aliquod intervallum, sed per omnem aetatem suam ministerio alligabatur: similiter Christus ad ultimum vitae suae punctum pendit a dominio Patris. Fluebat hinc 5. servo nullam post haec promissionis poenitentiam integrum fuisse: sic etiam Christus sponsionis renunciare, & datam semel fidem suam elidere rursus non potuit, quod afferunt tamen Remonstrantes.

§. XXVIII. De reliquo transverbatio auris in servo, non erat inanis lusus, sed exprimebat obedientiam, optimam servorum virtutem, quam probant, si audiunt promte & obsecundant heris suis. Deductio porro ad portam domus ipsum servorum officium intendebat, ut qui frequenter circa januas cursitarent.

§. XXIX. Obiter hic Davidem reconciliabimus cum Paulo, qui *Hebr. X. 5.* thema nostrum interpretatur, τὸ σῶμα κατηγράψα μοι. *Corpus* mibi adaptasti. Fatemur, si verborum versio urgeatur, unionem inter eos sperari non posse; sed cum sensus loco utroque concordet, nodus hic est nullus. Etenim, *corpus apertisti* mibi, tantundem in se continet, ac *aures aperuisti* mibi, seu fecisti me servum tuum, cum scilicet corpus humanum mihi circumfunderes. Quae lucem foenerantur

ex Phil. II. 7. ubi inventus est ut homo aliis, aequipollet cum phras-
si, assumebat formam servi. Locutionem autem illam pro more
suo transcripsit Apostolus a LXX. Interpp. quos, cum contra
sensem nihil peccarint, noluit repudiare.

§. XXX. Nollemus autem, viros quosdam magnae fa-
mac verba nostra aliorum tortisse. Etenim כְּרֹה יְיָ אֱנֹשׁ וְאַתָּה
aures aperuisti mibi, quod nos supra ostendimus totam Christi
incarnationem involvere, illi trahunt ad humanitatem Christi
quoddam attributum tantum, obedientiam, ut aperire aures,
h. l. idem sit ac facere obtemperantem. Lubrica vero haec
funt & violenta. Ne enim simus longi, non bene in gratiam
redibit expositiō haec cum Paulo, qui ut modo annotavimus,
haec verba Hebr. X. 5. transtulit; *corpus mibi adaptasti*. Aesti-
met nunc ingenuus lector, an Christo *corpus aptare & eum fa-*
cere obsequiosum, sint aequivoca. Subcontrarius etiam est fons
Hebraeus, ex quo textuum interpretationes tutissime exami-
nantur. כְּרֹה enim fodere, non tam bene designat talem e. c.
aurium apertione seu fosfionem, qua excrementis excaven-
tur, ut audire distinctius possint, (haec est mens illorum In-
terpp. quos modo laudavimus) quod esset sensu emblematico,
reddere aliquem obedientem; sed magis exprimit כְּרֹה
fosfionem, quae fit vulnerando, & nexa est cum dolore quo-
dam: quae significatio manifeste stat a nobis, docetque, no-
strū locum consuetudinem illam terebrationis in aure
servorum, & ita servitium Christi, quod cum is assumeret
corpus se exseruit, in mente habere. Advocamus huc scru-
pulosum illum Ps. XXII. versum 17. *פְּרוֹרָאַתְּנִי מֵעַדְנָתִי*
מִן־מֵעַדְנָתִי manus meas & pedes meos, ubi doloriferam fosfionem unusquis-
que cernet. Usurpare autem solent, si de simplici apertione
loquuntur Scriptores Biblici, vocem חֲתָנָה, ut Esa. XLVIII. 3.
אָז־לֹא־פְּתַחַת אַוְתָּה auris tua non erat aperta, cap. item L.
5. אֶרְאָנוּ וְהַחֲתָנָה בְּתַחַת־לְבִבְךָ Dominus Deus aperuit mibi aurem.
Quod imitati sunt Autatores N. Tti, quibus in significatione
apertoris simplicis vox ἀνοίγειν est vulgaris admodum. Ita
 אַנְגָּלָח

χριστών ἀντῶν οἱ φθαλμοί. Et oculi eorum aperi sunt. Matth.
IX. 30. par phrasis habetur Abi. XII. 14. ἀπὸ τῆς χαρᾶς ἐν ἡμίζε
τον πυλώνων, πρε γαύδιο νοη ἀπειρινον. alia existant quam plu-
rima exempla per totum N. T. volumen sparsa. Beatisime
Iesu, qui tanquam bofia omnibus numeris perfecta olim iustus es, & ita
dulcem odorem exhalasti ad naras tui Patris, nos vicissim sacrificabimus
tibi ebus gratitudinis, fera sanctimoniae, vinum gaudii in Domino, adi-
pem demique vitae defecatae. Tu tantum, quemadmodum ipse fidele
servitum praefitisti, alacritatem eandem transfunde in nos, ut cupide,

ut sine taedio iusta tua deosculeremus: & quando adhuc a vinculis

Diabolū sumus irretiti, advola, & lacrimabili servitute nos
quantocuyus emancipa.



Olim quae caluit puerili pe^tore flamma,
Jam spargit primas inveterata faces.
Tu igitur stadio volucri pede currere
perge,

Sudore arripitur dissita meta crebro.
Adde manus vitibus, fluat ut vindemia dives,
Neque scabat stirpes sus lutulenta cave.
In sua sic superi te ducent atria cives,
Angelicisque hortis regia cedrus eris.

Haec Dissertationi Ornatisimi Respon-
dentis, tanquam candoris sui & pro-
nae in eum voluntatis tesseram, at-
texuit Patruelis ipsius.

Andr. Ottom. Goelicke.

M. D. & PP.
Rector h. t. Universitatis.

Cui Christus tantus, quanti non Foedera
prisca
Numen adire pia relligione doces.
Quae via tendat eo, monstrat Tua pagina docta
Illi qui dignus nobiliore sacro est.

Pauca haec Nobilissimo & Politissimo
Domino R. G. Goelicke, SS. Th.
Cultori, Auctori hujus Dissertatio-
nis doctissimo, suog; per aliquot
annos auditori carissimo, gratula-
bundus amicitiae ergo scribebat.
Praefes.


ad 14.

01 A 6501



86

P2



B.I.G.



19
19

DISSERTATIONEM
DE
INSUFFICIENTIA
SACRIFICIORUM IN
VETERI, ET SUFFICI-
ENTIA SACRIFICII CHRISTI
IN NOVO TESTAMENTO,
ex loco Pf. XL. 7.
SUB PRAESIDIO
VIRI SUMME VENERANDI,
DOMINI
PAULI ERNESTI JABLONSKI,
ss. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ORD.
ECCLES. ITEM REFORM. IN HAC URBE
PAST.
XIV. Aug. 10 10 CC XXV.
ventilabit
Ejus Auctor.
RUDOLPHUS GOTHOFREDUS
GOELICKE.
Berol. S. Th. Stud.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis exscriptis **TOBIAS SCHWARTZE.**

